



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. De die Dominico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

versa, ut Filio, DEI diceret: *mitte te deorsum*. Nunquid non rectius dixisset, si Filius DEI; ascende in caelum? Quod utique si faceret Dominus, verè illum Filium DEI esse comprobaret. Sed inimicus caeli, nè tentando quidem ascensum vult suadere caelestem; deorsum, & in ima provocat: quia optat omnes cadere, qui se sentit pra omnibus cecidisse: S. Maximus hom. 2. de jeju. Quadr. Sic suis suadet; sic suis providit semper; sic suos elevat, ut de alto praecipiter validius in ruinam. S. Chrysol. l. 13. Aded cavet in hominibus ascensus caelestes, ut nec per tentationem hoc suggerat: quia maxime affectat, ut omnis humana cogita-

tio à caelis sit aliena, & terris affixa. Sylveira hic q. 27.

Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; & ibi causas quaerit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. S. Leo l. 7. in Nat. D.

Neque persequitur, & impugnat Christi adversarius, nisi castra, & milites, Christi. Hæreticos prostratos semel, & suos factos, contemnit, & praeterit: eos quaerit dejicere, quos videt stare. S. Cyprianus ep. 58.

Nemo diu tutus est periculo proximus: nec evadere diabolum servus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicavit. Id. ep. 62.

TITULUS VI. DIES.

§. I.

De die Dominico.

Diei Dominici nomen ab Apostolis. S. Ignatius M. ep. ad Magnesianos vocat: reginam, & principem omnium dierum. Chrysol. hom. 5. de Resurr. diem panis, & diem lucis. Apud Baron. A. 58. n. 87. primam feriam. Diem remissionis Concil. Carthag. 4. can. 82. Diem Solis S. Maximus hom. 3. Pent. Gavanthus tit. 12.

Dominicam diem Apostoli ideo religiosam solemnitate sanxerunt, quia in ea Redemptor noster à mortuis resurrexit; quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus, vel à Mundi illecebris, abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei huic honorem, & reverentiam, propter spem resurrectionis nostrae, quam habuimus in illa. S. Isidorus de offic. Eccles. c. 24.

Ipsè dies Dominicus est primus dies Saeculi. In ipso formata sunt elementa Mundi; in ipso creati sunt angeli; in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus; in ipso de caelis super Apostolos Spiritus S. descendit, manna eodem die in eremo de caelo datum est. Id. ib.

§. II.

Varia de aliis diebus.

Dies Paschæ, sive prima azymorum, quò Hebraei egressi ex Ægypto, fuit dies Veneris, Deò ita disponente: ut significaret diem veneris, quò Christus Phasæ nostrum immolatus est &c. Cornelius in Ex. 12.

In die furoris sui. Threnor. 2. 1. quia in die salutis suae noluit observare diem Domini,

quem Abraham Pater ejus viderat, & gavisus est; idcirco impiegit in diem furoris DEI. S. Paschasius hic.

Olim dies à solis ortu usque ad occasum, in 12. horas dividebatur, juxta illud Christi Jo. 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei*. Dividebatur dies in quatuor partes; quarum quavis tribus horis constabat. Hora prima diei illa erat, quâ sol oritur: & ideo, pro anni cursu, breviores, vel longiores, horæ. Undecima hora erat una ante solis occasum. Barradius t. 3. l. 5. c. 16. Dom. Septuag.

Vespere autem Sabbati. Math. 28. 1. Gentiles nominant dies appellationibus planetarum, & deorum seorsum; ut eorum semper memoriam habeant: Christiani autem nominibus *feriarum*: quia semper feriandum, seu desistendum, à peccato. Dion. Carth. hic.

Et quidem in hac die tua. Luc. 19. 42. Dies, & vita tota hominis prohi, dies est DEI: nam tota vitâ DEI operibus intentus est. At improbi dies ipsius solum dies est: tota enim vitâ gulo, genio, &c. indulgens. Ipso transactò die inquit Job 8. *sicut umbra dies nostri*. Stella in Luc. 19.

Dies ista (Jovis sancti) multiplicibus mysteriis honoratur. - Hodie reconciliantur Ecclesiae peccatores; & ejecti foris ad matris ubera reducuntur. - Hodie patent carceres; & damnati libertate donantur. S. Cyprian. de unct. chrism.

Eximia bona, & mala, sub caelo, in die sexto sunt condita: illa à Deo, ista ab homine. Sim. Caff. l. 1. c. 2.

